

Relació dels textos del Concurs Ciceronianum 2002-2006

Text de l'any 2002:

31 Etenim iam diu, patres conscripti, in his periculis coniurationis insidiisque versamur, sed nescio quo pacto omnium scelerum ac veteris furoris et audaciae maturitas in nostri consulatus tempus erupit. Nunc si ex tanto latrocinio iste unus tolletur, videbimur fortasse ad breve quoddam tempus cura et metu esse relevati, periculum autem residebit et erit inclusum penitus in venis atque in visceribus rei publicae. Ut saepe homines aegri morbo gravi, cum aestu febrique iactantur, si aquam gelidam biberunt, primo relevari videntur, deinde multo gravius vehementiusque adflictantur, sic hic morbus qui est in re publica relevatus istius poena vehementius reliquis vivis ingravescet. 32 Qua re secedant improbi, secernant se a bonis, unum in locum congregentur, muro denique, quod saepe iam dixi, secernantur a nobis; desinant insidiari domi suae consuli, circumstare tribunal praetoris urbani, obsidere cum gladiis curiam, malleolos et faces ad inflammandam urbem comparare; sit denique inscriptum in fronte unius cuiusque quid de re publica sentiat.

Peroratio del primer discurs.

Text de l'any 2003:

Diversae voluntates civium fuerunt distractaeque sententiae. Non enim consiliis solum et studiis, sed armis etiam et castris dissidebamus. Erat enim obscuritas quaedam, erat certamen inter clarissimos duces; multi dubitabant quid optimum esset, multi quid sibi expediret, multi quid deceret, nonnulli etiam quid liceret. Perfuncta res publica est hoc misero fatalique bello... Arma ab aliis posita, ab aliis erepta sunt: ingratus est iniustusque civis, qui armorum periculo liberatus animum tamen retinet armatum, ut etiam ille melior sit qui in acie cecidit, qui in causa animam profudit; quae enim pertinacia quibusdam, eadem aliis constantia videri potest: sed iam omnis fracta dissensio est armis, extincta aequitate victoris: restat ut omnes unum velint, qui modo habent aliquid non solum sapientiae sed etiam sanitatis.

Raons de la Guerra Civil (Pro M. Claudio Marcello 30-32)

Text de l'any 2004:

Ac Romulus cum septem et triginta regnavisset annos et haec egregia duo firmamenta rei publicae peperisset, auspicia et senatum, tantum est consecutus, ut, cum subito sole obscurato non conparauisset, deorum in numero conlocatus putaretur; quam opinionem nemo umquam mortalis adsequi potuit sine eximia virtutis gloria. Atque hoc eo magis est in Romulo admirandum, quod ceteri, qui dii ex hominibus facti esse dicuntur, minus eruditus hominum saeculis fuerunt, ut fingendi proclivis esset ratio, cum imperiti facile ad credendum impellerentur, Romuli autem aetatem minus his sescentis annis iam inveteratis litteris atque doctrinis omnique illo antiquo ex inculta hominum vita errore sublato fuisse cernimus... Antiquitas enim recepit fabulas fictas etiam non numquam incondite, haec aetas autem tam exculpta praesertim prudens omne, quod fieri non potest, respuit.

De Re Publica II 10, 17...19

Text de l'any 2005:

Diversae voluntates civium fuerunt distractaeque sententiae. Non enim consiliis solum et studiis sed armis et castris dissidebamus. Erat obscuritas quaedam, erat certamen inter clarissimos duces; multi dubitabant quid optimum esset, multi quid sibi expediret, multi quid deceret, non nulli etiam quid liceret. Perfuncta res publica est hoc misero fatalique bello: vicit is qui non fortuna inflammaret odium suum, sed bonitate leniret, neque omnis quibus iratus esset eosdem etiam exilio aut morte dignos iudicaret. Arma ab aliis posita, ab aliis erepta sunt. Ingratus est iniustusque civis qui armorum periculo liberatus animum tamen retinet armatum, ut etiam ille melior sit qui in acie cecidit, qui in causa animam profudit. Quae enim pertinacia quibusdam, eadem aliis constantia videri potest. Sed iam omnis fracta dissensio est armis, exstincta aequitate victoris: restat ut omnes unum velint qui habent aliquid non sapientiae modo sed etiam sanitatis. Nisi te, C. Caesar, salvo et in ista sententia qua cum antea tum hodie maxime usus es manente salvi esse non possumus. Qua re omnes te qui haec salva esse volumus et hortamur et obsecramus ut vitae, ut saluti tuae consulas, omnesque tibi, ut pro aliis etiam loquar quod de me ipso sentio, non modo excubias et custodias sed etiam laterum nostrorum oppositus et corporum pollicemur.

Raons de la Guerra Civil (*Pro M. Claudio Marcello* 30-32)

Comentari lliure:

1. Característiques de l'obra a la qual pertany (si es coneixen) dins l'obra de Ciceró.
2. Estructura interna del text.
3. Glosa i comentari del contingut en relació amb el pensament i l'obra de l'autor

Text de Certamen Ciceronianum celebrat a la ciutat d'Arpino (maig del 2005)

NESCIRE QUID ANTE QVAM NATVS SIS ACCIDERIT, ID EST SEMPER ESSE PVERVM

Nec vero dialecticis modo sit instructus orador, sed habeat omnes philosophiae notos et tractatos locos. Nihil enim de religione, nihil de morte, nihil de pietate, nihil de caritate patriae, nihil de bonis rebus aut malis, nihil de virtutibus aut vitiis, nihil de officiis, nihil de dolore, nihil de voluptate, nihil de perturbationibus animi et erroribus –quae saepe cadunt in causas, sed ieiunius aguntur– nihil, inquam, sine ea scientia, quam dixi, graviter, ample, copiose dici et explicari potest.

De materia loquor orationis etiam nunc, non de ipso genere dicendi; volo enim prius habeat orator rem, de qua dicat, dignam auribus eruditus, quam cogitet quibus verbis quidque dicat aut quo modo. Quem etiam, quo grandior sit et quodam modo excesior, ne physicorum quidem esse ignarum volo. Omnia profecto, cum se a caelestibus rebus referet ad humanas, excelsius magnificentiusque et dicet et sentiet.

Cumque illa divina congnoverit, nolo ignoret ne haec quidem humana. Ius civile teneat, quo egent causae forenses cotidie; quid est enim turpius quam legitimarum et civilium controversiarum patrocinia suscipere, cum sis legum et civilis iuris ignarus? Congnoscat etiam rerum gestarum et memoriae veteris ordinem, maxime scilicet nostrae civitatis, sed etiam imperiosorum populorum et regum illustrium. Nescire autem quid ante quam natus sis acciderit, id est semper esse puerum. Quid enim est aetas hominis, nisi ea memoria rerum veterum cum superiorum aetate contextitur? Commemoratio autem antiquitatis exemplorumque prolatio summa cum delectatione et auctoritatem orationi affert et fidem.

Text de l'any 2006:

IN Q. CAECILIVM ORATIO QVAE DIVINATIO DICTVR

1. Si quis vestrum, iudices, aut eorum qui adsunt, forte miratur me, qui tot annos in causis iudiciisque publicis ita sim versatus ut defenderim multos, laeserim neminem, subito nunc mutata voluntate ad accusandum descendere, is, si mei consili causam rationemque cognoverit, una et id quod facio probabit, et in hac causa profecto neminem praeponendum mihi esse actorem putabit.

2. Cum quaestor in Sicilia fuissem, iudices, itaque ex ea provincia decessissem ut Siculis omnibus iucundam diuturnamque memoriam quaesturae nominisque mei relinquerem, factum est uti cum summum in veteribus patronis multis, tum non nullum etiam in me praesidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur. Quare nunc populati atque vexati cuncti ad me publice saepe venerunt, ut suarum fortunarum omnium causam defensionemque susciperem. Me saepe esse pollicitum, saepe ostendisse dicebant, si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid a me requirerent, commodis eorum me non defuturum.

(Cic. Div.Caec. 1-2)

TRADUCCIÓ

COMENTARIO:

- a) características de la obra a la que pertenece (si se conocen) dentro de la obra de Cicerón,
- b) estructura interna,
- c) glosa y comentario del contenido en relación con el pensamiento y la obra de Cicerón.

Text del Certamen Ciceronianum celebrat a la ciutat d'Arpino (maig del 2006)

FORTITUDO ET SAPIENTIA

Est omnino fortium virorum, quales vos esse debetis, virtutem praestare (tantum enim possunt), fortunae culpam non extimescere. Sed, quoniam ab hoc ordine non fortitudo solum, verum etiam sapientia postulatur (quamquam vix videntur haec posse seiungi, seiungamus tamen), fortitudo dimicare iubet, iustum odium incendit, ad confligendum impellit, vocat ad periculum. Quid sapientia? Cautioribus utitur consiliis, in posterum providet, est omni ratione tectior. Quid igitur censet? Parendum est enim atque id optimum iudicandum quod sit sapientissime constitutum. Si hoc praecipit, ne quid vita existimem antiquius, ne decernam capitis periculo, fugiam omne discrimen, quaeram ex ea: "Etiamne, si erit, cum id fecero, serviendum?". Si annuerit, ne ego sapientiam istam, quamvis sit erudita, non audiam. Sin responderit: "Tu vero ita vitam corpusque servato, ita fortunas, ita rem familiarem, ut haec libertate posteriora ducas itaque his uti velis, si libera re publica possis, nec pro his libertatem, sed pro libertate haec proicias tamquam pignora iniuriae", tum sapientiae vocem audire videar eique ut deo paream. Itaque, si, receptis illis [*scilicet* M. Antonio eiusque sociis], esse possumus liberi, vincamus odium pacemque patiamur; sin otium, incolumibus eis, esse nullum potest, laetemur decertandi oblatam esse fortunam: aut enim, interfectis illis, fruemur victrice re publica, aut oppressi (quod omen avertat Iuppiter!) si non spiritu, at virtutis laude vivemus.

[24] Summa dignitas est in eis qui militari laude antecellunt; omnia enim quae sunt in imperio et in statu civitatis ab his defendi et firmari putantur; summa etiam utilitas, si quidem eorum consilio et periculo cum re publica tum etiam nostris rebus perfrui possumus. Gravis etiam illa est et plena dignitatis dicendi facultas quae saepe valuit in consule deligendo, posse consilio atque oratione et senatus et populi et eorum qui res iudicant mentis permovere. Quaeritur consul qui dicendo non numquam comprimat tribunicios furores, qui concitatum populum flectat, qui largitioni resistat. Non mirum, si ob hanc facultatem homines saepe etiam non nobiles consulatum consecuti sunt, praesertim cum haec eadem res plurimas gratias, firmissimas amicitias, maxima studia pariat. Quorum in isto vestro artificio, Sulpici, nihil est.

[25] Primum dignitas in tam tenui scientia non potest esse; res enim sunt parvae, prope in singulis litteris atque interpunctionibus verborum occupatae. Deinde, etiam si quid apud maiores nostros fuit in isto studio admirationis, id enuntiatis vestris mysteriis totum est contemptum et abiectum.